

h. 110, 30.

Q. D. B. V

Yb  
4574

# INDEX STUDIORVM

QVIBVS  
ALBERTINOFRIDERICIANVM

QVOD  
CVRIA. REGNITIANAE

EST  
FERVEBAT  
FERVEBIT. QVE. IN. POSTERVM

P. P  
A. D. X. CALENDAS. FEBRVARIAS

A. R. S. CICICCLXXV



CVRIA. REGNITIANAE  
LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELIK



**B**ona iuuentutis institutione nullum existere maius rei publicae emolumentum, cordatis omnes omnium aetatum uno ore profiebantur. Praesertim autem nostris temporibus summus et beneficentissimus bonorum omnium fons Principibus et maxime illustribus Personis eam instillauit mentem, ut scholarum curam atque instaurationem non infra dignitatem, quin inter magnifica et splendida sua gesta reputarent. Proinde et nos sane habemus, de quo gloriemur, de quo in vicem nobis congratulemur, Christum omnipotentem Scholarum christianarum APXONTA, Instauratorem et Seruatorem; Principem nostrum clementissimum, laudissimum, rem scholasticam protegendo et nutriendo summo opere augentem atque ornantem. Ad sunt praeter ea perillustres Proceres bene ad modum scholis cupientes easque corfilio ac re satis generosa promouentes; neque desunt, qui prouide curant, ut remotis, quae impediunt, vacare alacrius pii praecoptores graui suo et tamen suavi et salutari officio queant. Faustis hisce et felicem successum augurantibus auspiciis ego quidem

JOANNES CHRISTOPHORVS WEISS Superintendentis, scholarum Inspectoris et SS. Theologiae in illustri Gymnasio Profesoris grauissimum munus mirifice sic dirigente Deo T. O. M. et iubente Sernissimo nostro ac Clementissimo Principe accepi. Quod ingens sane nego-

negotium, non meis qualibuscumque viribus et autem vero ingenti Christi Iesu auxilio nixus subii. Ille enim solus potens est praestare, quod promisit Math. XXVIII, 20. volens quoque est suppeditare, quod a me exigit, singulare scilicet et perpetuum studium cum in ecclesiam tum in scholas; dabit quoque in sui honorem optatos successus. Pro officii igitur ratione gymnasium nostrum cum visitandi tum docendi causa ingressus hoc mihi cum primae classis ciuiibus suaue negotium sumsi, ut illos in amoenissimum Bibliorum sacrorum hortum educerem, et cuiuslibet libri scopum finemque illis commonstrarem. Per temporis angustiam nondum licuit longius exspatiari, sed in limine versantes mirandum *Mosis* atrium ceu antiquissimum et diuinitatis splendore coruscans opus, accuratius animo oculisque lustrauimus. Persequar in posterum etiam dirigente bono et praesente Deo incepturn iter cum sociis itineris carissimis in Paradisum amissio priore nobis diuinitus in his terris concessum saluberrimisque fructibus repletum, et abunde habeo, quod gustandum imo perfruendum iis praebeam, quibus pe-  
ctus ad optimam sapit.

PAVLVS DANIEL LONGOLIVS Curiani Rector nuperime annum septuagesimum primum initurus vel vt ex morte ad vitam reuocatus videtur, vt ex hac pagina denuo praedicet diuinum auxilium, quo suffultus fuit superiori anno fungendis non solum suis sed et per semestre prius theologiae professionis tum vacantis partibus. Institutionum quarumcunque matutinarum primordia cepit a diuinis literis versando annales *Iudicum*, *Ruth*, *Samuelis* atque *Regum Iudeorum* subinde petitis fontibus ebraicis et riuulis graecis, vnde illustraret SEILERIANVM Religionis Reuelatae Summarium et Doctrinæ Christianæ Compendium, ex quo iussus est seponere HVTTERIANVM in loco de Christo adprime occupatus. Ex codice noui foederis eum exercuit D. IOANNIS Apocalypsis, vt par est huius modi vaticinia tractare, quibus successit MINV-  
CII Orauitus, vt adsuescant tirones vestigia certissima premere, a quibus vel latum, quod aiunt, vnguem recedentes in vepres et dumetas incident, quibus se vel adultiores aegre nec sine diuinis auspiciis extri-  
cant. Haefere autem non tantum ibi, sed et visere duce LIVIO Ro-  
manos, Italos, Gallos, Hispanos, Siculos et Poenos, item Germanos  
parario TACITO, quos propius inspexisse omnium maxime iuuat eius  
posteros, non tamen sine sollicitiori inuestigatione et verborum et re-

rum, in quibus non nisi lente festinare concessum fuit, ut per aqua et  
deserta, neque tamen inconsulto, quia consulendi permulti Graecorum,  
Teutonum, Romanorum, ex quibus potissimum PLINII *Epiſtolae*, CI-  
CERONIS *Officia*, *Cato Maior*, *Laelius*, *Paradoxa et Somnium Scipionis*,  
item TRANQVILLI *Caſares*, quos nuperime incepit. THVMMI-  
GII *Ius naturale politicum* viam muniit ad rerum facies, quas penitus  
noscitabundos adlectat doctoris armarium librorum, numorum, arte  
factorum, sigillorum atque rerum naturalium quale quale. Nouit enim,  
quam curta ſibi sit ſuppellex. A ſummo Numine dependet, an reſerat  
ſuum auditorium et pergendo in exemplaribus ſacris priſci foederis et ex  
recentiori auspicando PAVLLINAM *epiſtolam ad Romanos*, et progre-  
diendo in ſupra laudatis SEILERIANIS, LIVIANIS, SVETONIANIS  
aliisque, quae expetantur, priuatim atque priuatifime.

NICOLAVS KAISER Correctoris munere hac tenus pro virili  
functus, praefcriptas superioris anni lectiones ſequenti ratione habuit.  
Experientia iam dudum edoclus, compluribus adolescentium, quo mi-  
nus optatos in ſtadio literarum progresſus faciant, impedimento eſſe,  
quod animam, qua diſcimus et ſapiamus, non recte nouerint: *Psycho-  
logiam ciuibis primi ordinis*, quorum praeeptor claficus erat conſtitu-  
tus, paullo enodatus expoſuit. Omnes deinde mentis facultates,  
quae indiſolubili inter ſe deuinciuntur vinculo, in disciplinae ſuæ  
alumnis perpolire contendit, et in primis ſtudia, quorum opem intel-  
lectus emendatio defiderat, ſedulo tractauit. Vim enim res diſtingue  
ſibi repræſentandi, iudicandi atque ratiocinandi, excitare adnifus eſt,  
in ſubſidium vocando LAYRIZII *Logicam*. Ut autem ad quaerendas  
demonſtrationes, atque ad veritatis amore bonos animos adſueface-  
ret, artes mathematicas, *Arithmetica*, *Initia Analyſeos* et *Geometria*,  
WOLFIO facem praeferente, diligenter docuit. Aciem propter ea  
ingenii limaturus, ad ſua *Aeſtheſicae*, *Oratoria* et *Poeticae* Praecepta  
CICERONIS *Orationes pro Lege Manilia*, pro *Marcello* et *Ligario*, at-  
que praecipua VIRGILII, HORATII et OVIDII *Poemata* ea, qua fieri  
potuit, adſiduitate interpretatus eſt. Infuper memoriam Historiarum  
ſtudio firmare atque locupletare adlaborauit, Romanorum Regibus, Re-  
publica consulari, Caſaribus et imperii romanogermanici Dominis ſe-  
cundum ordinem chronologicum e FREYERI näherer *Einleitung zur  
Universalthistorie* ante oculos dilucidius praepositis. Addiſcendis etiam  
linguis

linguis, quae omnibus ad aliquem eruditionis gradum contendentibus, cognitu necessariae sunt, plurimum operaे impendit; quam ob causam pleniorum latini sermonis peritiam e cursoria CVRTII aliorumque auctorum classicorum lectione in mentes discipulorum deriuare studuit. Amatoribus Graecorum AESOPI *Fabulas*, *Selecta Capita ex AELIANI Variis Historiis et EPICTETI Enchiridion explicauit.* Linguae quoque germanicae culturam ne negligeret, optimos scriptores ab auditoribus lectionum, praesertim priuatarum, curauit etiam atque etiam legendos. Quia vero rationibus iuuentutis scholasticae, licet omni rerum cognoscendarum varietate et copia illam instruamus, haud quaquam salutariter consulitur, nisi cuncta literatura, etiam ethnica, in scholis Christianorum ad emendandam voluntatem prudenter referatur: huius modi plerumque materiam scribendi, modo hac, modo illa dicendi forma, modo latina, modo patria, modo soluta, modo ligata oratione proposuit elaborandam, qua bene pensitata facilius iuuenes a vitiis reflecti, atque ad recti bonique studium, ad pietatem et indefessum summi Numinis cultum excitari posse. Ad Secundanos quod adtinet, quibus *Rhetorices et Poesios teutonicae Elementa* tradenda erant, hos quoque, ut ipsorum ingenia et animos fideliter formaret, in concinnandis narrationibus, periodis, chriis, epistolis, atque in variis versuum generibus saepius exercuit. In huncce autem annum, felicibus auspiciis exortum, quid Musis Curiensibus pollicetur, propter ea dubius est, quod ipsi fortasse breui tempore munus aliud obeundum sit. Quam diu inter ea licebit, DEO adiuuante, officii sui partes in Albertinosfridericiano forti et hilari mente tuebitur.

Annos bis senos docui iam Palladis artes;  
Pandere nunc IESV dogmata sancta iuuet!  
In Phœbi castris laus est subiisse labores;  
Maxima cum CHRISTO gloria nosse DEVUM,  
Praeco tui verbi si siam, diue Redemptor,  
Iussus et obsequar: en dextra fidesque tibi!

M. IOANNES KAPPIVS, Gymnasii Collega Tertius, diuina gratia adiutus, anno praeterito praefitit, quae muneris ratio postulare videbatur. Explicit enim primanis MATTHAEVM, III, HARLESII  
*Chre-*

*Chrestomathiam graecam poeticam, et Geographiam sacram.* Cum secundanis vero, fidei suae in primis concreditis, tractauit *Doctrinam Christianam*, duce Magnifico SELERO, *Geographiam, Historiam, Arithmeticam*. Iisdem exposuit in *graecis MATTHAEVM* a cap. XVI. usque ad finem, et IOANNIS *Evangeliū totum*, post examen ad MARCVM perrecturus; in *latinis CAESARIS de Bello gallico librum VII. HIRTII*, qui se mediis Caesaris interposuit scriptis, *eiusdem belli librum VIII. CAESARIS libri I. de Bello Civili capita XXXIII. priora, OVIDII librum II. epistolarum ex Ponto missarum, HEVSETI, Profess. quondam Parisiensis, Chrestomathiae ex optimis graecis et latinis scriptoribus scite excerptae, sive *Histor. Select. lib. III.* Insuper discipuli in *stile latino* diligenter se exercuerunt et singulis hebdomadibus *declarationes* habuerunt, id quod etiam, suadente optimo magistro Quintiliano lib. II. cap. 8. in posterum fiet. De methodo multa dicere nihil adtinet, nam superioribus catalogis satis superque descripta fuit, neque causa subest, cur ab ea recedat, cum et bonam saepe expertus est, et laetabundus vides, eam viris doctis et rei scholasticae intelligentibus probari. Ceterum quem ad modum hic usque discipulorum commodis vnicet vel cum iactura valetudinis et fortunarum suarum inferire studuit; sic quoque in posterum, quando ita visum Superioribus est, ut amplius in studio scholastico desudet, omnem operam adhibebit, ut secundum praeceptum diuinum 1 Cor. IIII. 2. fidem ac diligentiam in officio sibi demandato praefestet, sumnum Numen demisse precatus, velit sibi vires et animi et corporis largiri, ad ea exsequenda, quae cum ceteris Gymnasiī magistris in salutem iuuentis scholasticae meditatur.*

CHRISTOPHORVS SALOMO RENNEBAVM, Gymnasiī Collega  
Quartus, viribus suis a Summo Numine sibi clementer concessis, quam  
lubentissime usus est, ut adolescentulis, Musis operam dantibus, quam  
plurimum prodesset. Id enim, ut fidei suae concredi ad unum omnes  
euaderent docti, profecto vel fidelissimi praceptoris vires superat, et  
magis est optandum, quam de se praestandum. Fidi potius praceptoris  
in primis erit, suis quam plurimum prodesse, beneque cauere, ne  
sua ipsius culpa detrimenti quid capiat studiosa iuuentus. Quem finem  
sibi semper ob oculos ponens haec quidem cum suis hoc anni spatio  
pertractauit. Secundi ordinis ciuibus hebraicae linguae fundamenta  
eadem

eadem fere methodo, qua superioribus annis, tradidit. In Latinis cum iisdem ex HIRTI vel OPPII, ut putantur, *Commentariis bello*, quod Caesar Alexandriae gesit, perfecto bellum Africanum exponendum proposuit. Ex NASONIS Epistolis in exilio suo ad amicos datis, Libr. I. II. et III. usque ad Ep. III. explicit. In tertia vero classe, ne quid in tradendis praceptoris diuinis negligeret, ante omnia sibi curae cordique sunt. E CORNELIO NEPOTE VII. Imperatores, qui Alcibiadem ordine proxime excipiunt, exposuit ita, ut proximo anno ab Epaminonda initium faciendum sit. E selectis CICERONIS Epistolis Librum I. explicit, iterumque explicabit, quod II. Libri Epistolae tironibus intellectu difficiliores videntur. In graecis, ut discipulorum discendi cupiditatem excitaret, Euangelium IOANNIS legendum subministravit. Eosdem denique nec minus in latina poesi exercuit, et praeter ea, quod praceptoris officium postulat, praestitisse existimat, et in posterum Deo adiuuante praestituru, nec suis villa in re defuturum esse pollicetur.

ADAMVS CHRISTIANVS STEINHART, Cantor et Collega, anno proximo omnes eo intendit curas, ut sibi concreditos non solum bonis literis, sed etiam vera pietate diligenter informaret. Hunc in finem tribus inferioribus classibus e *Catechismo* LVTHERI salubriora doctrinae Christianae fundamenta explicit. Tertianis CORNELIVM NEPOTEM ita enucleauit, ut praeter expositionem occurrentes phrases memoriae imprimere perpetuo urgeret, illasque, quoad fieri potuit, per loquendi formulas familiares redderet. Cum iisdem discipulis poesin latinam, orthographiam et calligraphiam tractauit. Denique vero in Musices studio sibi praesertim commisso alumnos sedulo exercuit. Quae cuncta et in posterum Deo auxiliante persequetur, nihilque prius habebit, quam ut muneri suo satis faciat.

ANDREAS ADAMVS KAPP, Gymnasii Collega Quintus, praeterlapsu per Dei gratiam anno tertii ordinis discipulis colloquia LANGIANA methodo saepe indicata explicit, explicita et variando et imitando in usum convertere curauit, eosque nec non quartae et quintae classis discipulos in Arithmetica satis exercuit, in quibus post liberale otium publicum sedulo perget. Quarti et quinti ordinis disci-

AN 41 4574

X 347522


discipulis curae ac fidei suae potissimum commisis ante omnia Catechismum Baruthinum non solum eaucleauit, sed et illos ad vitam pie instituendam quavis occasione adhortatus est. Iisdem prima latinæ linguae elementa et huius declinationum et coniugationum paradigmata haud pigre explanauit. Praecipue Colloquia b. LANGII ita explanauit, ut illis expositis singulas veces resolueret, phrases erueret, et formulas suppeditaret, imo et imitatiunculas ad indolem tironum accommodatas proponeret atque emendaret. E SPECCII Libello exercitiorum et formularum emendationem cum sedula grammatices applicatione instituit. Pari modo prima linguae graecæ elementa suos docuit, atque in calligraphia et orthographia ut et in geographia et historia pro captu teneriorum iis praeiuit. Post examen finitum diuina adiutus gratia cum in publicis tum priuatis horis pari industria ac fide versabitur.

FREDRIC ALEXANDRE JANICAVD, Maître de Langue Françoise du Collège, traite dans la première Clasfe les Principes de la Grammaire, et y fait expliquer QVINTE CVRCE de la Vie et des Actions d<sup>e</sup> Alexandre le Grand de la Traduction de M. de Vangelas. Dans la seconde en expliquant les fondemens de la langue Françoise, il fait expliquer aux Ecoliers, qui en sont capables, le III. Tome de l' Abrégé de l' Histoire ancienne, contenant les Metamorphoses d' OVIDE, et l' Histoire Romaine jusques à Iule Cesar. Et quand à la troisième Clasfe, il enseigne aux Ecoliers avec une bonne prononciation les Declinaisons et les Conjugaisons, pour jeter les premières fondemens de la langue, qu' il instruit. Veuille le souverain Maître de toutes les Sciences accorder un heureux succès aux soins de sa Fonction, et en benir le progrès, ce qui sera sa plus grande satisfaction.



M. C.

B.I.G.



h.110,30.

Q. D. B. V

# INDEX

# STUDIORVM

QVIBVS

ALBERTINOFRIDERICIANVM

QVOD

# CVRIA. REGNITIANAE

EST

FERVEBAT

FERVEBIT. QVE. IN. POSTERVM

P. P

A. D. X. CALENDAS. FEBRVARIAS

A. R. S. CICICCLXXV



CVRIA. REGNITIANAE

LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII

